



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephina Lvcernensis

**Reiß, Jacob
Tschan, Jacob**

Constantiae, 1658

24. Pater spiritualis Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9773

ELOGIUM XXIV.

IOSEPH

Pater Spiritualis IESU.

Nemo magis vsurpare potuit illa Apostoli ad Ephes. 3. v. 15. verba; *Flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas, in caelis, & in terrâ nominatur*; quàm IOSEPHVS. Nemo enim pluribus nominibus Pater est. At est signum, *omne*, distributivè accipiendum, ita vt Paternitatum genera omnia complectatur. Quibuscunque ergo modis IOSEPHO paternitas tribuitur, debet ea nominari, hoc est, descendere à paternitate supremâ Dei. Iam autem, sicut in rebus creatis omnibus, primò locò, Spiritus ponitur, isque in esse physico, & in esse morali consideratus, sic oportet paternitatem Spiritualem, vbi ea inuenitur, antecedere alias omnes, quæ non sunt Spirituales.

At éstne hæc in IOSEPHO? Nego inprimis esse physicam; nego etiam posse esse. Et Ratio est, quia nec homo Spiritus est, nec si esset, aliter produci, quàm per creationem posset. At implicat assumi IOSEPHVM aliudve creatum agens, etiam per modum instrumenti ad creandum, vt docet S. Thom. in 1. p. q. 45. a. 5. in c. & q. 47. a. 1. & q. 65. a. 3. in c. & q. 90. a. 3. in c. & q. 104. a. 2. ad 1. & 3. Neque enim, dominium nihili, alterâ præterquam Deo conuenit.

Sed tamen Paternitatem illam alteram, Spiritualem

rualem inquam, quæ physicâ præstantior est, etiam in capite ponimus reliquarum paternitatum, quas deinceps IOSEPHO liberaliter, & quidem cum fundamento in re tribuam. Est autem, *paternitas* hæc, *Spiritualis*, denominatio obiectiua, resultans à parte rei, ac nemine nostrum cogitante, ex actione Spirituali, quâ quis, quantum est ex se, alterum instruit, impellit, manuducit in ijs, quæ Dei sunt. At huiusmodi actionē copiosè exercuit IOSEPHVS erga Filium Dei, non quidem ex indigentia eiusdem; quid enim deesse Filio Dei potest? Sed, quia decebat ipsum implere omnem iustitiam. Sicut ergo ob hanc causam ipse Baptismi auctor, ut Baptismum obtineret à Ioanne, dixit; *Sine modò*; ita haud dubiè, ut obtineret illam à IOSEPHO actionem Spiritualem, idem, *Sine modò*, sæpius repetijt, extorsitque. At hoc ego ipse primus commentus nequaquam sum. Docuit verò dudum antè Gerson in Iosephinâ, dist. 2. Cui ut refrager, idem amoris in IOSEPHVM conatus non finit: quin potius, ut subsidio quibuscunque Rationibus veniam, etiam pertrahit.

Igitur 1. nonne IESVS proficiebat sapientiâ, & etate, & gratiâ apud Deum & homines? Negare hoc nemo sine hæresi potest, propter Luc. cap. 2. v. 52. At non potuit vllibi magis proficere, quàm apud eos, cum quibus maximam partem fuit; fuit autem cum MARIA & IOSEPH. Sed neque magis in manuum labore, quàm in animæ causis ipsum proficere decebat. Ad vtrumque ergo præcipuam operam

operam proprij contulere parentes; eo modo, quò proficiebat. 2. Illimitatè dicitur ab eodem Luc. v. 51. *Et erat subditus illi.* At nihil est indecens, Christum esse subditum IOSEPHO, etiam vt filium Spiritualem. Si enim esset indecens, ideo esset, quia ipse potius IOSEPHVS fuit filius Spiritualis IESV. At nihil obstat vnum eundemque diuerso respectu esse Patrem & Filium Spiritualem. 3. Hæc paternitas Spiritualis tantum requirit, vt quis ad Spiritualia iuuet alterum ex intentione iuuandi. Etsi ergo demus, quòd IESVM in Spiritualibus nunquam instruxerit, saltem mille modis alijs eundem & alios adiuuit. 4. Eadem maximi est meriti. Ergo à IOSEPHO auferri non debet. 5. Varijs exemplis ostendi potest, CHRISTVM vsum esse verbis instructionem petentibus in rebus minoris momenti. Ergo verisimile est, simile officium à IOSEPHO petijse saltem propter ipsum IOSEPHVM.

ELOGIUM XXV.

IOSEPH

Pater Legalis IESV.

Altera paternitatis species, eaque à Spirituali Paternitate totò genere diuersa est *Paternitas Legalis*, quæ ferè ex adoptione, & arrogatione, Legum constitutione nascitur. Sed adoptio utique potior est. Arrogatur enim ille, qui sui est iuris;

F

at ve-